

moram fiat opusculi de quo dicebam, inscitiae meae destinati
perscribere rogo, qui ad palatum fecerit meo, nec ipsa quidem
novitate acceptus sapor. Disce vero si hactenus non
didicisti, perinde tecum atque cum Cartesio actum iri,
quandiu ad ima Philosophiae vestrae fundamenta totum
orbem non admittitur, carpent ac discerpent vos eruditi
passim et ignari, neque ullus vagae velitationis fructus
aut finis erit. Hoc te monitum per occasionem volui,
atque ut amares me constanter pergas Vir Doctissime,
qui te constantissime diligo. Vale. Haga Com: 111. Cal.
Maj: C1010CXLII.

Cautio illa Gallica velim mihi remittatur
exscribendi enim otium non fuit.

Worstio.

(321)
Fecisti somnolentus Worsti Amplissime, quod vigili, si non
fecisses, vitio vestri poterat. Primas amicitiae quam fun-
dasti tesseras, tuo tibi jure patibas reddidisti. quod ut
scias quam non iniquo animo passus sim, ecce eodem
habitu rescriptionem, fidei tuae libenter meritoque credi-
tam et humanitati commendatam. Ado specimen
Herbarii nuper ad me Lutetia missum. Argumentum
tui praecipue foris est. Vides quid de Instituto autori
ac methode sentias, et cum otium erit, doces, ut sit
unde post te definiam, quod diu poscor. multosque
mihi Renios conciliare perge et me amare. Haga Com:
XIII Cal. Mart: C1010CXLII.

Jacobo Renio.

Coll: Ordd: Praefecto.

(322).
Triplici meo nomine devincti, Vir Amplissime,
quod ignotum ultro et immaneritum compellasti, quod
mellito carmine, quod pio. Poteram vel sola allocutione
vel carmine, vel pietate vinciri, et vinci. Itaque
non me victum modo et vincitum fateor, sed et
prostratum. Tendenti manum ut opem simul, et
perennem amicitiam petenti, annue eadem huma-
nitate, qua petendi fiduciam fecisti, Mancipio bis
tuum facies, qui se factum agnoscit. De Paematu
nihil addo, ^{non duntaxat} ~~nam~~ delector. statim atque a Biblio pego
redierint aude inspecturus sum, et hoc dicturus
nempe quo nihil est dignius, Renij esse. Vale Vir
Doctissime, et carminum istorum felicitatem mihi
quoque indulge, Renij esse. Haga Comit: 13. kal:
Mart: 1642.

Totus Renij

C.H:

Barleo.